

# ANONACEAE ARCHIPELAGI INDICI.

EXPOSUIT

F. A. GUIL. MIQUEL.

Anonacearum sedem prae reliquis terrae partibus in Archipelago Indico a natura stabilitam esse, BLUMEI de his stirpibus commentatione in Flora Iavae edita iam probatum, recentiorum itineratorum scrutatione ultro confirmatum est. Speciebus in illo opere enumeratis praesertim in Iava collectis, iisque quas in Flora Indiae bat. nuper proposui, nunc largam messem addere potui earum quas cl. KORTHALS in Iava, Sumatra et Borneo, ZIPPELIUS in Nova Guinea et in insulis Moluccis, FORSTEN in Celebes et Amboina, et nuperrime TEYSMANN et DE VRIESE in Moluccis, in Celebes, Borneo et Sumatra detexerunt.

Generum Anonacearum per Tribus naturales dispositionem, a BENTHAMO et HOOKERO in Gen. pl. propositam, multis numeris egregiam, hic atque illic tamen leviter immutavi. Sic v. c. totam Tribum Miliusearum repudiavi, quum androecei characteres, formis transitoriis nimis vagi, haud tanti faciendi videbantur quam petalorum dispositio et forma atque ovulorum numerus. Porro Artabotrys Xylopieis a me adscriptus est, quum huius tribus character primarius petalis aestivatione basi tantum valvatis, caeterum liberis contineatur. Mitrephoreis annumeravi Melodorum, Goniotalamo cognatum et Oropheam, in cuius fl. masculis normalis staminum dispositio obtinet. Caeterum conf. Florulam Anonacearum in Archipelago Indico crescentium, ad calcem propositam.

Brevitatis causa a citandis libris et iconibus quantum fieri potuit abstinui. Praeter ea quae a BLUMEO in *Flora Iavae* et a me ipso in *Fl. Ind. bat. vol. I. parte altera* et in *Supplemento* proposita sunt, sequentes libri consulendi:

TEYSMANN et BINNENDYK in diario *Natuurkundig Tijdschrift voor Nederlandsch Indië*.

HASSKARI, *Plantae Iavanicae variores; Hortus bogoriensis; Retzia*.

ZOLLINGER, *über die Anonaceen des Ost-Indischen Archipels, in Linnaea, vol. 29, p. 297 seqq.*

HOOKER fil. et THOMSON, *Flora Indica, vol. I.*

BENTHAM et HOOKER, *Genera plantarum, vol. I.*

## TETRAPETALUM MIQ. nov. gen.

*Sepala* 2 lata, aestivatione imbricata. *Petala* 4 biserialiter imbricata, sub anthesi subpatula conformia rotundata concava. *Torus* convexus. *Stamina* numerosissima, arcte imbricata, loculis dorsalibus, connectivi processu incrassato truncato superata. *Carpella* numerosa lineari-prismatica subclavata, biserialiter pluri-ovulata, *stigmatibus* (stylo) incrassato brevi glabro antice canaliculato.

**TETRAPETALUM VOLUBILE MIQ.** Species hactenus unica borneensis.

*Frutex*, ramis lignosis cylindricis saepe volubilibus, demum glabris, ramulis petiolis costa costisque praesertim subtus densissime rufo-stellato-tomentosis. *Petioles* validi, antice canaliculati, circiter semipollicares. *Folia* basi rotundata vix leviter emarginata, maiora suboblongo-elliptica, minora subobovata, abrupte breviter acute acuminata vel saltem apiculata, crasse coriacea, siccata marginibus plerumque leviter revoluta, iuniora supra ubique stellato-pubescentia, subtus tomento fusco pallidiorum quam in costis tota dense obducta, (quod e pilis stellatis atque e pilis aliis saturatius coloratis paullo longioribus fasciculatis conflatum est), senescentia primum supra denique subtus etiam fere tota glabrata, costulis utrinque 12—10 erecto-patulis validis rectis sed prope marginem arcuatis extenuato-evanidis, haud exacte unitis (venis obtectis), supra cum costa depressis, subtus perspicue eminentibus, 12—5 poll. longa, 6—2½ supra medium lata. *Spicae* sessiles vel brevi-pedunculatae, secus

ramos foliosos et vetustiores laterales, suboppositifoliae, sed folio quod sequuntur, paullo demissius insertae,  $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$  vulgo 1 poll. circiter longae, ellipsoideae oblongae, iuniores dense tomentosae, nunc peracta fere anthesi glabriusculae, bracteis rotundatis coriaceis sepalis subconformibus et eodem modo glabratis, densiflorae, floribus sessilibus vel subsessilibus. Flores haud magni. Sepala lato-rotundata, coriacea, extus rubiginoso-tomentosa, intus glabra, pressione vulgo longitudinaliter fissa, aestivatione, ut lateribus extus depressis etiam constat, perspicue imbricata, post anthesin adhuc persistentia et fere glabrata. Petala 4, calycem superantia coriacea firma glabra concava subrotundata, marginibus acutata, imbricata, sed sub anthesi versimiliter subaperta, 2 lin. circiter adaequantia vel parum superantia, in alabastris globoso-composita. Torus lateribus glaber et inferne subcylindricus pro inserendis staminibus, vertice convexus areolatus et pilosulus pro inserendis carpellis. Stamina carpellis numerosiora, spiraliter dense disposita, clavato-lineararia, loculis dorsalibus, connectivo rhombeo vel varie angulato planiusculo superata. Extima stamina, quae probabiliter magis dilatata, pleraque iam decidua. Carpella prismatico-clavata, deorsum substipitatim attenuata, sursum tumidula, ibique magis quam deorsum pubescentia, stigmatibus in sicco nigro vertice subtruncato vel subacuto, facieque antica magis minusve canaliculato, mutua pressione subirregularia diversiformia. Ovula biserialia; circiter 10 numeravi. — *Borneo occid.*: DE VRIESE.

*Adnotatio.* Genus admodum singulare, Uvariae proximum, Disepalo HOOK. fil. analogum.

## UVARIA LINN.

1. *UVARIA HETEROCARPA* BL. *Fl. Jav. An. p. 41, tab. 17 (mala)*. Ramuli petioli folia subtus pedunculi cum bracteis calyceque extus densissime subferrugineo-stellato-tomentosi; folia brevissime petiolata, e basi breviter conniventi-cordata elliptico-oblonga, novella submucronato-acuta, adulta apice obtuso-contracta, obtusa vel rotundato-obtusa, subcoriacea, supra in nervis dense caeterum sparse stellato-pubescentia, costulis utrinque 12—10, haud crassis, venis subtus indumento occultatis; pedunculi intrafoliacei uniflori, remote bibracteati; sepala fere ad  $\frac{1}{2}$  connata oblongo-ovata; petala ovalia obtusa vel subacuta utrinque tenere dense pubescentia, subaequalia; staminum extimorum vix sterilium connectivum paullo magis dilatatum; carpella matura stipitata globosa monosperma vel biarticulato-disperma. *Unona m. Fl. Ind. bat. I. 2, p. 41.*

Species eximia, b. BLUMEO ad specimen fructiferum incomplete cognita, nunc ad floriferum a KORTHALSIO detectum describenda, *U. purpureae* floribus aemula, foliorum forma et indumento densissimo longe diversa, bractearum situ etiam distincta. *U. flavae* foliis similis, differt tamen, ni fallor, bracteis longe distantibus nec oppositae adproximatis, floribus minoribus et, si e schedula KORTHALSII, qui nostram *U. purpuream* dixit, recte coniicio, petalorum colore purpureo, denique fructu certe discernenda. — *Ramuli* teretes haud crassi, indumentum sub innovatione ochraceum serius gilvescens diu retinentes. *Folia* disticha, *petiolis* vix 2 lin. longis antice canaliculatis caeterum subcylindricis crassiusculis suffulta, siccata supra e viridulo nigrescentia fuscescentia, nervis vero praesertim medio ochraceo-stellato-hirtellis, subtus mollissime densissimeque stellato-ochraceo-rufescentia, tomento super nervos pallidiore, costulis subarcuato-erecto-patulis prope marginem haud perspicue unitis parum prominentibus, venis ob indumentum densum nullis videndis, pleraque anguste elliptica vel passim obverse oblonga, novella submucronato-acuta, adulta vero fere semper obtuse desinentia, apice licet angustiore, aliquando plane rotundato, pleraque circiter 6 poll. longa, vel parum longiora aut breviora,  $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$  lata. *Pedunculi* laterales, sed folio sursum sequenti e latere opposito magis adproximati quam inferiori, sub anthesi pollicares, teretes, haud crassi, sursum parumper incrassati, basi ima bractea ovata vel elliptica obtusiuscula sub-5-plinervia dense tomentosa, 1— $\frac{3}{4}$  poll. longa, prope apicem vel ab eo remotius altera consimili paullo minore muniti, ambabus in alabastro sibi adproximatis, basi attenuata non rite amplectentibus, (eorum cicatrices BL. pedicelli rudimentum habuit). *Sepala* extus rubiginosa, intus albida et tenuius tomentosa, oblongo-ovata obtusiuscula, pollicaria, probabiliter fere ad medium unita, in sp. supp. pressione magis separata, compage haud crassa, in exsiccatis submembranacea fragilia. *Alabastra* depresso-globosa. *Corolla* exsiccata carneo-cinerea, diametro fere bipollicari, *petalis* subaequilongis crassis planis utrinque dense tenere puberis, exterioribus ovato-ovalibus, interioribus deorsum paullo magis attenuatis, enerviis. Genitalium globus crassus. *Torus* convexus, extus glaber, vertice lato-truncatus pubescens pro inserendis carpellis. *Stamina* numerosissima; *antherae* lineares connectivi processu truncato varie trigono vel rhombeo, in exterioribus maiore terminatae. *Carpella* lineararia angulata,  $1\frac{3}{4}$  lin. longa, adpresse hirtello-velutina, biserialiter pluri-ovulata, *stylo* brevissimo (potius stigmatibus pars inferior) glabro, *stigmatibus* glabro apice planiusculo verrucose subdiviso. *Carpella submatura* cl. BL. l. c. descripsit. — *Java*, probabiliter in prov. *Bantam*: VAN HASSELT, in eiusdem insulae ora australi: KORTHALS, in m. Salak: BLUME (*Uvaria obtusifolia*).

2. *UVARIA DASYCHLAMYS* MIQ. *n. sp.* Innovationes stellato-ochraceo-tomentellae, cito glabrescen-